

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sacra Paschalia Pie Celebranda Indicit Academia Ienensis
Praemittitur de continuatione identitatis in vita futura**

Officina Fickelscherriana Officina Fickelscherriana

Ienae, [MDCCLXXX?]

urn:nbn:de:gbv:45:1-9667

(29^a)

SACRA PASCHALIA
PIE CELEBRANDA
INDICIT
ACADEMIA IENENSIS



*Praemittitur de continuatione identitatis in vita
futura.*

Commentatio prima.

Loebach

I E N A E
LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.





Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19



Landesbibliothek Oldenburg

DEI GRATIA
CAROLVS AVGVSTVS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIVS
THVRINGIAE MARCHIO MISNIAE COMES PRIN-
CIPIS DIGNITATE HENNEBERGAE COMES MAR-
CAE ET RAVENSBERGAE DYNASTA RA-
VENSTEINII REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.

C I V I B V S

§. I.



Est quaestio longe gravissimi momenti, quae unumquemque hominem propius tangit; quatenus praemia ac poenae in futuro statu proposita ad eosdem spiritus pertineant, qui in hac vita ad virtutem, vel ad scelus animum adplicaverunt. Si enim verendum esset, ne Deus ad percipienda praemia nobis promissa, vel ad perferendos dolores scelerato impendentes, alium spiritum substituat, videte, quantum dignitatis virtuti, quantum sceleri horroris detrahitis. E contrario nihil est, quod fortius a peccatis revocet, studiumque Deo sese probandi magis accendat, quam consideratio, quod *nosmet ipsos* factorum nostrorum consequentiae, quaecunque tandem sint, certissime maneant. Et quum religio nostra fere tota in eo versetur, ut vitam futuram ex continuata hac in terris peracta ortam opperiri nos iubeat, haud abs re nobis visum est, in hoc argumentum accuratius inquirere. Quod ut commodissime absolvatur propositum nostrum, fundamenti loco *notionem generalem identitatis*, cui illa *metamorphoseos* necessa-

~~_____~~

3

neccessario iungitur, substruemus; *tum* vero generalia haec ad *illam* existentiae *continuationem*, quam docet *Scriptura*, applicabimus.

§. II.

Vt vero, quantum fieri potest, ab omni idearum confusione nobis caveamus, monendum est, nos de illa identitate haud loqui, quae alias *immutabilitatis* nomine venit. Haec in eo consistit, ut in ente ipso prorsus nihil immutati reperiatur, quanquam caeterae res, ad quas vario modo referri potest, ideoque relationes eius mutationem subierint. Si igitur caeteras res subito in eum statum restituere, in quo antea fuerunt, ens immutabile erga illas plane eodem modo se haberet ac antea. Ponas Ex. c. corpus in eodem loco immotum haesisse, circa illud vero variis motibus alia corpora errare, tunc quidem corporis immoti positio, vel relatio loci, ad omnia reliqua mutatur, ipsum tamen mutationem localem nullam subiit; et si illa alia in pristinum locum restituuntur, positio illorum ad immotum illud eadem erit, quae antea fuit. Ita fit in ente immutabili. Omnia praedicata, quae unquam ipsi infuerunt, adhuc insunt; neque ulla ratione ab eo, quod semel fuit, diversum est; at relatum ad alia mutationem subiisse videtur. Hanc immutabilitatem nulli entium finitorum, saltem ex hominibus nemini competere, iure nostro sumimus; Deo quatenus competat hic abs re est considerare. Quam si quis continuationem identitatis nominare velit, nos quidem nihil refragabimur, at expressis verbis monemus, nos de illa identitate, quae omnem mutationem excludit, hoc loco haud agere.

§. III.

Nos potius de illa identitate loquimur, quae considerari non potest, nisi *genus* quoddam definias, cui hoc ens subest. Haud quaerimus, num individuum hocce idem individuum maneat, (nam, quâ individuum, quolibet momento mutatur); sed quaerimus, quas et quantas mutationes subire pos-

A 2

fit



fit Caius, quibus non obstantibus idem homo, vel idem spiritus, vel idem ens maneat. Exemplo rem illustrare conabor. Erat Athenis celeberrima illa navis argonautica, quam in tanta habebant reverentia Athenienses, ut continuo illam reficiendo efficerent, ne unquam dissolveretur. Iam quaestio erat diu multumque agitata inter Philosophos urbis, num navis, cui ne particula quidem ligni restabat, ex quo initio confecta erat, eadem navis appellari posset, qua Iason cum sociis vectus erat. Quaestio, fateor, hoc singulari casu est minimi; at, quando de iure proprietatis agitur, vel ad spiritus transfertur, Iureconsulto, Iudici ac Theologo longe maximi momenti.

§. IV.

Solent Philosophi, me quidem iudice minus recte, quaestionem de identitate *secundum obiecta* in duas partes dispescere; ita, ut identitatis *rerum* alium characterem constituent, ac *personarum*. Mihi vero recollectis iis, quae (§ III.) dicta sunt, *generalis* character sese offert, qui utrumque complectitur, et ex parte cum illo, quem Locke tradidit, convenit. Est lex naturae universalis, quam continuitatis vocant, secundum quam ens ex hoc statu in alium statum haud transit, nisi per omnes possibiles status, quae inter praecedentem et subsequenter intersunt, permeaverit. Haec si lex summo rigore vera esset, non dubitarem Lockium plane sequi, qui identitatem entis, quā entis, in eo ponit, ut hoc ens, ita ut nunc est, ex illo ente, quod antea fuit, per mutationes continuas evaserit. At vero quum, praecipue quod spiritus attinet, dubitari potest, an non virtute divina haec lex interdum tolli possit; alium characterem substituamus, qui ad omnia identitatis obiecta pertinet. Ens sub genere quodam constitutum haud cessat *idem ens huius generis* esse, nisi eas subierit mutationes, quae efficiunt, ut ad hoc genus referri diutius non possit. Simulac vero tantas mutationes patitur, ut inter entia huius generis numerari amplius non possit, tunc metamorphosin, vel naturalem, vel miraculosam subiit, et

et in ens alius generis transformatum est. E. c. Cometa post multorum annorum reditum, quantascunque interea passus sit mutationes, manet idem Cometa; at si forte deglutiverit eum sol, cessat esse Cometa et transformatur in particulam folis.

§. V.

Generalem hunc characterem sequenti argumentatione confirmare posse nobis videtur. Ne vero nimis generaliter loquentes obscuri forte lectoribus fiamus, in *genere* quodam *determinato*, homine e. c. numerisque rotundis versabimur. Ponas in urbe senatores esse decem, inter quos Caius. Iam numerum senatorum imminui non posse, nisi quis ex iis cesset esse senator, cuilibet patebit. Iam vero si ille Caius, qui post annum senatoriam dignitatem habebit, cum eo, qui nunc habet, non eadem est persona, urbs in sequenti anno undecim numerabit senatores, siquidem ex prioribus nemo cessavit senator esse, et novus ille Caius accessit. Res tam plana est, tamque perspicua, ut diutius illi immorari, et quomodo hoc exemplum in generalem argumentationem converti possit, ostendere, vix operae pretium videatur.

§. VI.

Haec determinandi ratio, quum per se sit simplex et plana, tamen multis difficultatibus medetur, quae in hac disquisitione occurrunt. Nimirum patet, quum quaestio de identitate in relatione huius entis ad genus quoddam tota versetur, ens *quodam respectu* idem manere posse, licet *alio respectu* cessaverit idem esse. Si ergo ex identitate rei confectaria eruere velis, probe tibi dispiciendum erit, num ab ea parte sit eadem, ad quam confectaria tua pertinent. Noli in urbe vetustissima eosdem vicos et plateas quaerere, quae tempore Romanorum in illa fuerunt. Hanc cautionis legem nobis ipsi praescribemus, quando in altera parte huius

disquisitionis doctrinas hic propositas ad imputationis in futura vita leges adplicabimus.

Secundo, quod *Metamorphosin* attinet, ex dictis facile patet, quod, quo respectu ens *transformatur*, eo respectu *destruatur*, necesse sit. Nimirum ad transformationem requiritur, ut ens huius generis cesset huius generis esse, et in aliud transeat. Eiusmodi transformationes respectu quodam quotidie occurrunt. At universalem entis, qua entis, metamorphosin efficere, est opus omnipotentiae. Requiritur enim ad illam totalis subiecti *annihilatio* et *nova creatio*, quae si non fieret, ens quantumvis, quamque subito mutatum, tamen idem ens maneret, quoniam nunquam cessavit esse ens existens.

Tertio, quo respectu ens semel transformatum est, eo respectu *identitatem nunquam recuperare potest*. Vides domum resectam; procul dubio eandem dicis; at vidisti plane dirutam, ex eadem vero materie novam domum conditam, hancine cum priori eandem pronunciares? Ponamus per *Metempsychosin* animum Caroli Magni corpus Caii occupasse, tunc Caius quidem cum Carolo M. eadem est persona, non vero idem homo, nec idem imperator, neque iure suo liceat ipsi regna repetere, quae Carolus morte sua amiserat.

§. VII.

Occurrit quaestio subtilior, cuius praetereundo mentionem faciam. Quaeritur, num fieri possit, ut *individua duo, in se invicem*, Caius in Titium et Titius in Caium transformantur. Negandam esse possibilitatem talis reciprocae metamorphoseos, ex praemissis colligimus. Individuum nempe est omnimode determinatum, in quod si aliud ens transformari debeat, oportet illud in omnes ac singulas determinationes huius individui succedere. Et hoc quidem adhuc cogitari, mutationibusque continuis effici posset, nisi ad omnimodam determinationem et tempus et locus pertinerent. Iam vero quum in determinando individuo temporis ac loci
omnino

omnino ratio habenda est, oportet, utrumque horum in se invicem transformandorum individuorum eodem momento in locum caeterasque determinationes alterius substitui, idque *sine motu locali*, nam quilibet motus quantacunque celeritate absolutus, temporis tamen seriem requirit. Mutatio vero loci *sine motu* me quidem iudice contradictionem involvit. Fingas enim, ens illud, cuius locum mutare vis *sine motu*, sphaerico spatio inclusum, et nullo negotio patebit extra fines huius sphaerae ens tendere non posse, nisi antea per peripheriam eiusdem permeaverit. Nihil igitur restat, ut omnes possibilitates redarguamus, nisi ut utrumque horum entium in se invicem transformandorum annihiletur et denuo creetur. Tunc vero habes duo nova entia, ad quae neutrum eorum, quae antea fuerunt, ulla ratione pertinet.

§. VIII.

Reversi a digressionem § praecedentis, quam ea potissimum de causa tractavimus, ne ardui quid praetermisisse videremur, ad illud, quod caput rei est, nos accingimus, nempe ad *identitatem personalem*, quam nos ex generali conceptu (§. IV.) tradito nullo negotio eruimus. Nimirum persona, quam vocem pro ente intelligente, sive vivo, usurpamus, manet eadem persona, quamdiu vitam, sive continuatam percipientem existentiam haud amisit. A quo tamen multi Philosophorum, inter quos potissimum *Lockium* nominabo, qui diserte hunc locum tractavit, dissentiunt, identitatem personalem in *memoria* tantum collocantes, quae si pereat, personam eiusdem entis non esse eandem autumant. Et quidem ingeniosissimus ille Anglus, quem modo nominavi, argumentatione utitur admodum subtili ad hoc comprobandum. Nimirum sequenti modo ratiocinatur:

„A cogitatione separari non potest *conscientia*, impossibile enim est percipere, nisi te percipere percipias. Per hanc conscientiam quilibet *sibi* illud est, quod *ipsum* appellat. Quousque igitur conscia haec notitia *retro* extendi potest
„ad

„ad actionem quamvis aut cogitationem praeteritam, eoque
 „personae istius identitas porrigitur, *idem ipse* est, qui tunc
 „fuit, atque actio ista perficiebatur ab ipso, qui *numero idem*
 „est, cum eo, qui iam retro eam respicit.“

Speciosa sane argumentatio, cui *tria* potissimum opponi
 posse videntur. Et *primo* quidem nexus ille, quem necessa-
 rium supponit inter cogitationem quamcunque et eius con-
 scientiam, negari, saltem haud evinci potest. In distinctissi-
 mis et confusissimis cogitationibus conscientia haec plane tolli
 videtur, et reale discrimen est inter *cogitare* et *scire*, quod
 nunc ea de re *cogites*. In abstracta meditatione obiecto pro-
 posito ita animus inhaeret totus, ut suae prorsus existentiae
 obliviscatur; et certe, si ista cogitatio: *ego is sum, qui cogitat*:
 quolibet momento menti se obtruderet, fieri vix posset,
 quin omnis profundior meditatio disturbaretur. Cuicumque
 in se ipso periculum facere licet. Instituas meditationem
 abstrusi cuiusdam obiecti, et quolibet momento identitatis
 tuae ideam revoces, atque videbis, quam parum medita-
 tione tua proficias. Idem obtinet in summa idearum con-
 fusione. Imminentibus undique gravissimis periculis, quis
 est, qui suae identitatis certam conscientiam retineat? Stat
 attonitus, discurrit amens, neque profecto, se, se ipsum,
 esse illum, qui timet, qui consilii inops est, cogitatione
 assequetur.

Tum autem quod non conceditur concesso, a cogitatione
 praesenti conscientiam separari non posse; tamen nulla adhuc
 ratio cogit, ut identitatis personalis characterem potius in
 posterioris, quam in prioris continuatione ponamus. Argu-
 mento utar a similitudine ducto. Ponamus spiritum crea-
 tum sine corpore existere nullum, num exinde concludere
 licebit, identitatem spiritus a corpore pendere, ita ut, si
 quando sine corpore exstiteris, non idem sit spiritus?
 Verum quidem est illud, quod monet vir acutissimus: per
 conscientiam quilibet *sibi* est illud, quod ipsum appellat: hoc
 est:

est: nisi sui ipsius sibi conscius foret, nesciret, se illum ipsum esse: si ergo actionum suarum oblitus esset, has actiones sibi ipse haud tribueret. Planum hoc est atque perspicuum. At vero in eo tota disceptatio versatur, num ad identitatem personae necessario requiratur, ut *persona ipsa se eandem esse iudicet*; an non potius identitas personae a iudicio *aliorum*, a iudicio *Dei* pendeat. Quorum prius quum Lockius adfirmat, nos negamus, tota eius argumentatio *petitionem principii* continet.

Denique nec a confusione idearum libera esse videtur. Nimirum conscientia actu existentis cogitationis a conscientia ante habitae, vel iudicio, quod nos eam cogitationem iam antea habuerimus, longe diversa est; quod ex ipsis Lockii principiis κατ' ἀνθρώπων evinci potest. Nempe cogitatio praesens (teste ipso) nunquam est sine conscientia; at praeterita quoties sub oblivionem cadit! Concludit igitur a *diversis ad diversa*.

§. IX.

Eundem auctorem in tollendis, quae contra suam sententiam adferri poterant, dubiis solito suo ingenii acumine destitutum haud fuisse, lubentes confitemur. Quum enim secundum suam opinionem identitas personae non nisi a iudicio eius, de cuius identitate quaeritur, pendet, quod iudicium verum, falsum, erroneum et mutationi obnoxium esse potest: fieri non poterat, quin ex eo effato plures orirentur difficultates, ex quibus se extricare saepe maxime arduum erat. Ut ex iis, quae ipse in medium protulit, quaedam tantum repetam, quaeritur, num sanae mentis hominis et eiusdem mente capti; sobrii ac vino obruti; infantis et viri, eadem sit persona. Lockius hoc non potest non negare, quoniam neutrius horum statuum conscientia ad alterum se extendit. Quum vero ipsi obiici posset, quod ebrii delicta in sobrio puniri soleant, arguta ratiocinatione ostendit, id ea de causa fieri, quod crimen palam sit omnibus, defectus vero conscientiae coram iudice humano argui non possit. Qua solutione, sicut

B

opinor



opinor, vera et adaequata bene partes suas tuetur. Attamen hac de re plura in posteriori parte disquisitionis nostrae monituri, ad id tempus totam illam reservamus.

Porro iis difficultatibus occurrit, quae oriuntur, si spiritus forte falsa persuasione *sibi actiones alius spiritus tribueret*; num praemia huic spiritui debita postulare possit, num eius poenas luat; tum, quid futurum sit, si *duo spiritus eandem* veram vel falsam conscientiam habeant, ita ut uterque illorum alterius mutationes pro suis habeat; quarum *primam* difficultatem concedit, at in natura spiritus aliquid contineri putat, quod eiusmodi appropriationem actionum ad se nullo modo pertinentium impediat, quod quale sit, nos quidem haud perspicimus, at vero a bonitate summi numinis et aequitate nostro iure speramus; in *secundo* autem casu, spiritus, qui invicem alterius mutationes pro suis habent, in *unam personam* coalescere, autumat.

Hisce quidem argumentationibus quodammodo se exsolvit, at vero non sine arte; neque multos fore puto, qui discrimen, quod facere cogitur inter *spiritum* et *personam spiritus*, nimis probent. Nimirum eodem manente spiritu, eadem substantia, eodem homine, tamen personam longe diversam fieri posse contendit, nec aliter potest, nisi effata sua deferere velit.

§. X.

His si utrinque novi nihil addi posset, tamen causam nostram bene sese habere coniceremus. Verum enim vero quum nova nobis suppetant argumenta, ad quae responsum hactenus non est, et quae gravissima nobis videntur, nihil est, quod impediat, quo minus et haec in medium proferamus.

1) Personam spiritus vel hominis totam aut esse eandem post aliquod tempus, aut non, quilibet facile concedet. Iam vero

vero si quarundam actionum memineris, quarundam oblitus fueris, respectu *illarum eadem* eris persona, respectu *harum non eadem*. Quid! quum quolibet momento quarundam rerum oblivione capimur, nemo per duo sequentia momenta temporis eadem erit persona et quod personalitatem suam attinet, puncto temporis quolibet metamorphosin subiturus est. Quod quam abhorreat a communi nostrum omnium conceptu, quantas perturbationes in imputatione creaturum sit, nemini obscurum esse potest. Sed de his plura in posterum.

2) Quod gravius est, personalitas uti quolibet momento amittitur, ita quolibet momento *recuperatur*. Quae nunc persona est Caius, post horae spatium non eadem erit, quae insequitur horâ iterum idem ipse est Caius. Oblitus est rei, amicus eam ipsi in memoriam revocat, atque ita illam Caii personam, quae nuspiam erat, in existentiam restituit. Quid multa? Gravissimum afferam, quod simul sequenti disquisitionis nostrae parti viam sternit. Nempe

3) *Officiorum*, quibus inter sese invicem obligatae sunt, non substantiae, sed personae, mira oriretur *perturbatio*, si personalitas a memoria sola penderet. Debeo pecuniam Caio, oblitus sum aeris alieni, num cessat obligatio mea debitum persolvendi? Si cessat, cessabit et ius Caii, nam ubi nulla obligatio, ibi nullum ius; et si ius suum in me profequitur, si manu mea, si testibus convincor, si ad rependum cogor, summam patior iniustitiam. Vel si hoc cuidam haud satisfaciat, ponas, creditorem meum oblitum esse, tunc ille non habet ius a me mutuum exigendi, nam is non ea est persona, quae mutuum mihi dedit; ergo et mihi rependendi nulla prorsus incumbit obligatio; nam ubi ius nullum est, ibi nullam posse esse obligationem ab altera parte, patet. Dum somno oppressus quiesco, cesso omnium meorum dominus esse, licet furibus ea, quae pridie mea erant, secum absportare. Qui patrem ebrium vel dormientem occidit, non erit parricida, et parricidii graviores poenas immerito luit.

Nolo





Nolo ulterius progredi, ne consequentiis tantum formandis studere videar. Illud unum summatim comprehendere licebit. Ex generali identitatis conceptu, quem (§. IV.) tradidi, identitas personalis facillime determinatur, nimirum: *persona manet eadem persona, quamdiu omnino haud cessat persona esse*: haec determinatio in se nihil continet difficultatis, et si quam continere videatur, et huic in posterum occurrere studebimus; est simplicissima, usui loquendi et communibus conceptibus apprimè accommodata. Illa altera est difficultatibus et tricis undique involuta, summam requirit artem, si expedire eam velis, habet contra se argumenta gravissima, usui loquendi communibus hominum conceptibus repugnat, et forte, quod postea probatum ibo, ne imputationis legibus quidem, cuius causa tamen ita concinnata esse videtur, consentanea est. — Iam perpende, lector, et iudica —

Quod reliquum est, CIVES, hortamur, ne purae ac iussissimae voluptatis, ad quam dies hic festus Vos provocat, immemores, ad eas oblectationes convertamini, quae salvatori Vestro hodie mortis victori non possunt non displicere. Dies potius sollemnes ita peragite, ut per Vos triumphus Exaltati condecoretur, utque ipse, cuius oculus Vos observat, veris suis inque aeternum beandis cultoribus Vos annumeret. Adeste igitur frequentes in templis Domini auditores attenti, neque officiorum Vestrorum in verbi salutaris praecones immemores. P. P. d. xxvi Martii MDCCLXXX.



160

DEI GRATIA
CAROLVS AVGVSTVS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIVS
THVRINGIAE MARCHIO MISNIAE COMES PRIN-
CIPIS DIGNITATE HENNEBERGAE COMES MAR-
CAE ET RAVENSBERGAE DYNASTA RA-
VENSTEINII REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.

CIVIBVS



§. XI.

Quam haftenus vsu loquendi duce identitatis infor-
mauimus notionem, vt nimirum in *continuatione*
existentiae tota posita sit, iam ad ea, quae statum
hominis post mortem propius tangunt accommo-
dare nos accingimus. In quo quum personalitatis potissimum sit
habenda ratio, et huic iam conceptui, eam, quam fundamenti
loco posuimus, definitionem adplicari curauimus, vt nostro qui-
dem iure *eandem* censere nobis liceat personam, quae ens intelli-
gens esse nondum cessauerit. Quae huic sententiae firmamenta ad-
hibuimus, vtut bene se habeant, tamen noua ab aduersariis iniri
solet ratio, qua nostram oppugnent mentem, vt scilicet in eum,
qui post hunc in terris statum futurus est, scenam transferant,
atque ex iis, quae de hoc futuro nobis innotuerunt statu, noua
contra nos praesidia quaerant. Quibus vt non solum occurrere-
mus, nostramque defendendo tueremur sententiam, sed infesti
prodiremus, atque ex iis ipsis, quae contra nos parata fuissent,
nobis